



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quare fides, spes, & scientia dicuntur euacuari & non charitas, cum & ipsa
sit ex parte. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

ramos incidere, si radicem non contēdit euellere.
*Quare fides & spes & scientia dicuntur euacuari & non cha-
 ritas, cum & ea ex parte sit.* C

Aduertendum etiam est, quomodo fides, spes,
 & scientia dicantur euacuari, quia ex parte sunt, &
 nō charitas cum & ipsa ex parte sit. Ex parte enim, *1. Cor. 13.*
 id est, imperfecte, diligimus: sicut ex parte scimus, *Li. 1. ca. 2.*
 vt ait Elschius super Leuiticum. Cum ergo omne
 quod ex parte est, euacuetur, cur charitas excipi-
 tur quæ dicitur nunquam excidere? Charitas qui-
 dem etiam ex parte est, vt sæpe sancti docent, quia
 ex parte diligimus nunc, & ideo ipsa euacuabitur
 inquantū ex parte est, quia tolletur imperfectio &
 addetur perfectio. Remanebitq; ipsa aucta, & au-
 ctus eius, & modus diligendi, vt diligas Deū pro-
 pter se ex toto corde, proximum tuum sicut teip-
 sum: sed imperfectionis modus eliminabitur. Fi-
 des vero & spes penitus euacuabūtur. Scientia ve-
 ro secundū actum & modum suum, qui nunc est,
 non secundum sui essentiā tolletur. Ipsa n. virtus
 sciētiæ remanebit, sed aliū tenebit vsum & modū.

Si Christus ordinem charitatis præscriptum habuerit. D

Nunc iam superest inuestigare. Si Christus se-
 cundum quod homo, ordinem diligēdi præscrip-
 tum seruauerit? Quod si est, omnem hominem si- *1. Tim. 2. b.*
 cut seipsum dilexit, omnibus ergo vitam optauit,
 omnesq; saluos fieri voluit, sed non omnes salui fi- *1. ad Ti. 2. b.*
 unt, & ita non est factum, quod optauit. Sed non
 est ignorandum in eo fuisse charitatem iuxta mo-
 dum patriæ, non viæ: eumque ordinem diligendi
 implese, qui seruatur in patria, non in via. Qui n.
 in patria sunt, i. iam beatificati sunt, adeo iustitiæ
 Dei addicti sunt, vt nihil eis placeat, nisi quod Deo
 placet: ac per hoc illorum tantum salutem diligūt
 & volunt, quos Deus saluari vult, eosque solos si-
 cut se diligunt: ita & Christus electos tantum sicut
 se dilexit, eorumque salutem optauit.

DE